



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

30. Dionysius Carthusianns.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13704**

CAPVT XXX.

Dionysius Carthusianus.

DIONYSIUS Carthusianus, quamvis temporibus nostris longe propinquior, satis luculente ostendit in eadem illa veterum scriptorum sententia se fuisse. Nam in commentariis in secundum distinctione vigesima quinta quaestione quarta ita loquitur: Quatuor sunt status libertatis seu liberi arbitrii in homine. Vnus ante peccatum, secundus sub peccato, tertius sub gratia, quartus in gloria. Atque in omnibus his iudicio meo, libertas a coactione seu necessitate, aequaliter manet in homine propter libertatem voluntatis, quam si homo amitte-

ret, peccatum eius non esset peccatum. Et paulo post, ad quaestionem qua quaerebatur, utrum homo peccet coacte & necessario, quia non potest non peccare, respondet: Si quis habeat plura deprimentia ad peccandum, & nihil elevans contra ea, necesse est quod deprimentia vincant & faciant eum labi deorsum. Ita est in libero arbitrio, gratiam elevantem non habente, sed propriam infirmitatem & culpam trahentem inferius, tamen non cadit nisi electione propria voluntatis, non necessitate coactionis. Ideo dicit Gregorius, peccatum quod per penitentiam non deletur pondere suo mox trahit ad aliud.

CAPVT XXXI.

Marfilus de Inghen.

MARSILIVS etiam ex professione doctrinae sancti Bernardi & Magistri insisit. Nam in quaestione decima sexta super secundum Sententiarum articulo secundo sic loquitur: Cum Magister dicat distinctione vigesima quinta triplicem esse libertatem scilicet a necessitate, a peccato, & a miseria, vocans libertatem a necessitate libertatem a coactione &c. De sola libertate qua est a necessitate est principaliter ad praesens, & est materia praesentis articuli. Vbi primo est notandum quod libertas creaturae rationalis est ipsa creatura, ut libertas Angelus est ipse Angelus. Quod patet quia solo Angelo remanente omnibus alijs ab eo seclusis, maneret ipse liber: & non esset tunc liber per libertatem superadditam, cum omnia alia sint seclusa. Ergo est liber libertate qua ipse est: sequitur enim libertas essentialis creaturae rationalis, sed rationabiliter quaeritur utrum sic libertas hominis sit homo? Ad quod (quia quid nominis est) dicitur communiter quod libertas hominis est sua voluntas qua per suam essentialitatem est: quia sicut non fiat essentialiter Angeli remanere sine libertate ita nec essentialiter voluntatis. Mox docet libertatem dici analogice de Deo, Angelo, & homine, quia Deus liber est simplicitate sine actibus superadditis; Angelus est sua libertas, sed cum actibus superadditis; homo non est sua libertas, sed anima vel voluntas eius, ac deinde varios libertatis modos distinguit iuxta varios hominis status.

Et in eadem distinctione decima sexta articulo quinto, succinctis conclusionibus suam de libertate sententiam exprimit. Prima propositio: Libertas voluntatis non attenditur penes hoc quod potest desistere sive peccare. Patet quia tunc Deus non esset libera voluntatis, quia utique peccare non potest.

Secunda, nec libertas voluntatis attenditur penes hoc quod omne quod potest velle, possit perficere. Patet quia potest velle quod est supra se ut suum supponit esse Papam vel Regem. Unde Philosophus tertio Ethicorum ait, voluntas est impossibilium, sed non

electio. Tertia, nec libertas creata voluntatis attenditur penes hoc quod non possit immobilitari in bonum vel in malum. Patet: dicitur in tertio articulo quaestio- nis quinta huius secundi: quia completo statu in eo in quo finaliter se posuit, de lege communi immobiliter perseverat &c.

Quarta. Nec libertas, ut assero, in hoc consistit quod ultimam finem beatissimum clare visum de lege communi possit non velle: sicut beatitudinem suam clare visam non possit non appetere. Et de hoc dictum fuit in secundo articulo &c.

Quinta, videtur quod naturaliter libertas sit sua essentialitas. Haec est prius posita in primo notabili secundi articuli. Et statim adiecit de libertate viae & de potentia Dei ad auferendam libertatem, nempe quod non sit possibile ut voluntate remanente Deus eius libertatem auferat, quia ut dictum est, voluntas est sua libertas.

Ex his perspicuum est, quid sentiat Marfilus de libertate essentiali voluntatis, tum angelicae, tum humane. Nam quod diversos libertatis status exponat, quae vel in via, vel in patria aliud postulant, non repugnat generali isti doctrinae, sicut infra declaraturi sumus: Quemadmodum enim in viatoribus postulat indifferentiam, ita in beatis admittit necessitatem. Et cum obijceretur ex Philosopho tertio Ethicorum, quod de necessarijs nullus laudaretur vel vituperaretur, Christus autem in omni bono opere tam impeccabilis, fuisset necessitatus, distinguit triplex necessarium. Primo quia coactum & in hoc nullus meretur. Secundo quia a natura inexistentis sic quod aliter fieri nequit, sicut gravis inclinatio ad deorsum, & hominis inclinatio in scire per intellectum, & in bonum per affectum, & in talibus homo etiam non meretur. Tertio modo dicitur necessarium, quia inevitabile, non tamen per naturam, sed per gratiam in bonum confirmantem. Et hoc contingit generaliter in comprehensivibus. Et statim declarat quod Christus opera bona quae fecit, fecit necessitate inevitabilitatis,

In 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.

in 2. dist.

25. 4. 4.